



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. XXV. Contumacia aliorum aut expugnata, aut punica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

## §. XXV.

*Contumacia aliorum aut expugnata, aut punita.*

**E**A autem fuit feminarum nonnullarum obstinata malitia, ut Sacrae Expeditionis tempore, ne ad pacem reintegrandam inducerentur, domi suae se abderent, non januis tantum, sed & fenestris obferatis, ut aliud profectae viderentur. Industria tamen P. Pauli caritas modum invenit in ea receptacula penetrandi, & extinctis tota sacrae eloquentiae vi flammis, iraque, quibus aestuabant, agnis propè ipsis reddidit mansuetiores. Saepius jussas tantum genua humi ponere, aut manu capitibus earum imposita, sic immutavit, tantum sinceræ virtutis afflavit, ut cum sanguinem adhuc occisorum filiorum cadavera, nondum terrea mandata, stillarent, cædium tamen Authores convivio adhiberent, illasque ipsas dexteris oscularenrur, quæ parricidale ferrum strinxerant. Prodigiosorum ejusmodi eventuum plures centenis numerari possent; quos tamen, ne fastidium lectori pariant, volentes prætermittimus. Et verò illud à multis animadversum est, non constare, quòd ulla pax ac concordia à P. Paulo stabilita, subinde iterum mutata fuerit discordia, quod profectò ingens opus est divinæ miserationis per hoc suum instrumentum operantis. Nec tamen affirmare est animus, nullos unquam inventos esse animos tam duros, tamque contumaces, ut omnem in iis operam hortando, & sanguinem fundeudo optimus Pater perdiderit: sed his plerumque carò stetit sua obstinatio. Unus eorum aliquis, qui omnem ardentissimæ & operosissimæ caritatis industriam eluserat, ex P. Paulo abeunte hæc verba sibi occini audiit: *Vade infelix, nunquam tibi*

in omni deinceps vita bene erit. Paulò post miserandus homo in amentiam incidit, & cum aliquamdiu vagus hinc inde oberrâset, prope sepem aliquam Parmensi in ditione mortuus repertus est. In Genuensis Reipublicæ ditione Juvenis nonnemo, qui & ipse nullis artibus induci potuit ad veniam hosti dandam, post dies non multos mari se commisit ad merces quasdam suas aliò transvehendas: vix autem tantisper à littore profecta navis everfa est, miserque haustus aquis, quin ulla ratione opem illi ferre liceret.

## §. XXVI.

*Chartarum lusus sublatus.*

**P**ost concordiam tam multiplicem in Sacris P. Pauli Expeditionibus stabilitam præcipua inter earundem effecta videtur numerandus sublatus lusus chartatum pictarum. Qui novit, quàm grave vitium sit hic chartarum lusus, apud plebejam & inopem turbam maximè, quàm multa exempla pessima, fraudes, furta, blasphemix, perjuria, rixæ, cædes hinc nascantur, is probè intelliget, quid tandem tali de opere sit sentiendum. Cum ultima Sacræ Expeditionis die canistra his foliis plena igne abolerentur, repentè in aere terribile tonitru, & velut ruptæ nubis fragor auditus est: judicâtunt plerique, voluisse malum Dæmonem eo strepitu testari dolorem irâmque suam, quam ex consumptis igne tot flagitiorum instrumentis conceperat. Cum aliquando Pater perorare desisset, prodiit in medium coram ingenti Populi multitudine nescio quis, & cum fasciculo foliorum ejusmodi: execrata hæc, clamavit, folia induxerunt in domum meam dissidia, perdiderunt inopem prolem